



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Magnum Matrimonij Sacramentum Casibus Practicis Expositum

Reutlinger, Ignaz

Augustæ Vindelicorum, 1716

VD18 10508716

Quæstio Prima. An fieri hoc possit authoritate proprie?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40059

SECTIO QUARTA.

De causis , ex quibus dissolvi possunt Sponsalia.

Egimus hactenus de natura , & constitutione Sponsalium, agendum nunc est de eorundem dissolutione , cum enim Sponsalia Sacramentum non sint , sed via ad Sacramentum Matrimonij suscipiendum, possunt, ut alij contractus, varijs modis dissolvi ; quot autem sint ejusmodi causæ , quæ ad Sponsalia dissolvenda sufficiunt, varia est Authorum opinio , alijs plures , alijs pauciores statuentibus. Sylvester enumerat septendecim ; Valensis tredecim ; Tannerus duodecim ; Palao undecim ; Layman decem , nobis sufficiet adducere septem , nam ad has reliquæ reduci possunt. De prima nunc sermo erit.

CAUSA PRIMA DISSOLVENDI SPONSALIA. Mutuus Consensus.

QUÆSTIO PRIMA.
An fieri hoc possit autoritate propria ?

C A S U S

Utrò sibi promissionem remittentium.


Vedastus contraxit Sponsalia de futuro cum Serena ; post aliquot septimanas ipsum poenitudo subit , rogar igitur suam Sponsam ,

Sponsam, ut factam promissionem sibi remittat; hæc, eum & ipsa mentem mutaverit, libenter annuit, atque ita mutuo utriusque partis consensu solutis Sponsalibus, aliam ipse ducit, & ipsa nubit alteri.

Q. An ista facere potuerint autoritate propria, an verò necessaria fuerit autoritas Superioris ?

SYNOPSIS.

1. An possint mutuo consensu dissolvi Sponsalia? difficultas movetur ex c. 2. De Sponsal.
2. Ponitur, & probatur Sententia affirmativa, etiamsi secuta sit carnalis copula cum Sponsa, sed hoc limitatur.
3. Responderur ad argumentum n. 1. allatum, & explicatur citatum capitulum.
4. Etsi ex se illicita non sit, plerunq̄ue tamen non fit mutua dissolutio sine omni peccato.
5. Quandoque prohibetur speciali statuto Diocesano, quo casu opus est auctoritate Ordinarij.
6. Quæ etiam necessaria est, quando dubitatur de causa sufficiente dissolvendi, non verò, quando constat de causa sufficientia, & Sponsalia sunt occulta, cessatq̄ue periculum scandali.
7. Dicta procedunt solum de puberibus, nam impuberes Sponsalia contrahentes resilire nequeunt, donec pubertatem attigerint. Quid verò si pubes contrahat cum impubere ?

1.  N Sponsalia mutuo consensu dissolvi possint validè, ac licitè, dubium moveri potest, & argumentum pro parte negativa desumi ex c.

Præterea hi. De Sponsal. ubi dicitur: eos, qui de Matrimonio contrahendo fidem dederunt, admonendos esse, ut præstitam fidem servant; si autem se ad invicem admittere noluerint, ne fortè inde deterius contingat, esse in patientia tolerandum; si igitur hæc dissolutio patienter toleranda est, nequit ea fier

fieri ipso jure prohibito Sponsorum, aliàs isti monendi non essent, ut præstitam fidem servent, si nullam illius servandæ obligationem habent: supponit igitur Pontifex, saltem licitè fieri non posse dissolutionem Sponsalium ex sola voluntate Sponsorum. Ita Lancellot. *Instit. Jur. Can. L. 2. Tit. De Sponsal. V. tolerari*, & alij quidam apud Sanch.

2. Sed dicendum, Sponsalia puberum mutuo consensu non solum validè, sed & licitè dissolvi posse. Ita Palao *disp. 1. de Sponsal. pu. 17. n. 2.* Sanch. *L. I. de Matr. disp. 52. n. 2.* Perez. Bonac. & alij communiter. Ratio est, quia omnis contractus ex natura sua solubilis (qualis est Sponsalitiis, non verò Matrimonium propter Sacramentum annexum) sicuti ex mutuo consensu paciscentium nascitur, ita per eundem mutuum consensum dissolvitur juxta communem regulam utriusque juris, & quidem Canonici c. 1. De Reg. Jur. *Res omnis* (nempe naturâ suâ solubilis, ut dictum est) *per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.* Idem habetur c. *Omnis res.* 27. q. 2. & in Jure Civili L. 35. ff. De R. I. *nihil tam naturale est, quam eo genere quidquam dissolvi, quo colligatum est, ideo verborum obligatio verbis tollitur, & nudi consensûs obligatio contrario consensu dissolvitur.* Denique §. ult. *Instit. quib. mod. toll. oblig. Obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur.* Ergo valida est

talis dissolutio, quæ mutuo partium consensu fit.

Quòd verò etiam licitè fieri possit, inde constat, quia id nullo jure, nec naturali, nec positivo prohibetur: ergo per se, & attendendo præcisè contractum, licitè fit, quamquam non negem, aliquando, imò sæpè, intervenire peccatum, verùm istud non præcisè ex natura præcedentis contractûs, qui hîc, & nunc dissolvitur, sed aliunde, ut postea videbimus.

Atque hoc communiter extenditur 1. ad Sponsalia juramento firmata, ut in sequenti casu ex instituto probabitur. 2. Ad Sponsalia quoque, quæ subsecuta est carnalis copula, nam licet ante Concilium Tridentinum ejusmodi Sponsalia per copulam transiverint in Matrimonium juxta c. *Is qui.* De *Sponsalibus*, ac proinde facta sint indissolubilia, hodie tamen post Tridentinum non transeunt ampliùs in Matrimonium, ad quod de facto requiritur præsentia Parochi, & testium, uno de hoc tempore indissolubilitatem non induunt, ac consequenter si Sponsa etiam post corruptionem velit cedere suo juri, & in hoc consentire, ut mutua utriusque voluntate Sponsalia dissolvantur, id facere potest, ut ex responso S. Congregationis docet Jacobus Pignatelli to. 9. *consult. 133. n. 45.* Crediderim tamen ego, Eminentissimos DD. Cardinales plus dicere noluisse, quam

quàm posse istud facere, attenden-
do præciè hoc, quòd per carna-
lem copulam Sponsalia non facta
sint indissolubilia; aliunde tamen
potest adesse ratio, cur non ita fa-
cile post habitam copulam consen-
tire possit in dissolutionem Spon-
salium Sponsa deflorata, si videli-
cet ex ista copula conceperit, &
pepererit prolem, tunc enim videtur
mater non posse sine gravi culpa ita
facile cedere suo juri, & consentire
in dissolutionem, quia tenetur vel
ex iustitia, vel saltem ex chari-
tate, & pietate consulere suæ
proli, ne maneat illegitima, nevé
desit congrua sustentatio, & bona
educatio, quam infamiam, & alia
mala avertere potest, si urgeat Ma-
trimonium, secùs erit prodiga hon-
noris, & fortunarum suæ sobolis,
ut docet Card. de Lugo *L. 1. responsi-
Moral. dub. 44. n. 4.* si tamen meritò
timeat magnas molestias, & affli-
ctiones in conjugio, ad quod mari-
tum compulit, remittere potest suum
jus, nec obligatur habere rationem
prolis cum tanta sua molestia juxta
Gobat *tr. 10. n. 286.* quia charitas in-
cipit à se ipsa.

3. Quod adductum est pro argu-
mento ex *c. 2. Præterea hi. De Spon-
sal.* non obrinet intentum, nam ibi
Pontifex iussit Sponfos moneri, ut
præstitam fidem servant, non quòd
aliquo jure prohiberentur mutuo
consensu à Sponsalibus recedere,
cùm id permissum esse, aperte indi-

eet ipse textus citatus, Sponsalia
comparans contractui societatis,
quem nemo negat, posse mutuo
consensu dissolvi, sed ideo iussit
moneri, ut vitaretur offensio vulgi,
graviter quandoque apprehendentis
ejusmodi recessum à Sponsalibus,
præsertim juratis, ob præstiti jura-
menti, ut sibi imaginantur, vio-
lationem, qualia offendicula cave-
re, & amovere convenit, cùm de-
cens sit vitare speciem quoque ma-
li, quæ dare possit ansam obloquijs.

Sed neque ex ultimis verbis alla-
ti textus hoc poterit in patientia tolera-
ri ostenditur, dissolutionem Spon-
salium mutuo consensu factam illi-
citam, nullamque esse, ac solum
permitti causâ vitandi peioris exi-
tus, si ducat uxorem, quam odio
habet, nam, ut rectè advertit Pirh.
*n. 42. De Sponsal. & Wagnereck
in exegefi ad cit. c.* potest aliquid à
Jure patienter tolerari dupliciter.
Uno modo permittitur, quod per
se quidem iniquum est, sed metu
majoris mali toleratur: sic permit-
tuntur lupanaria ad vitanda majora
mala, v. g. adulteria, incestus
&c. Alio modo toleratur aliquid
à jure, permittendo illud non tan-
quam in se malum comparatione
majoris mali, sed ut aliquid minùs
conveniens ob notam inconstan-
tiæ, & levitatis, qualis, saltem in
opinionem vulgi, dari videtur in dis-
solutione Sponsalium quamvis utrin-
que Spontaneâ,

Adhuc

Adhuc aliam responsionem dat Laym. *L. 5. tr. 10. c. 2. n. 1.* Pontificem ista dixisse in casu, qui frequenter solet evenire, ut unus è Sponsis, v. g. scemina, cupiat sibi fidem servari, sed alter omnibus modis renuat, cupiatque Sponsalium remissionem fieri, eò quòd abhorreat à muliere, tunc sanè comonendus est, & omnibus modis inducendus, ut præstitam fidem servet; sin autem bonus exitus non speretur, post factam monitionem de fide servanda, toleranda est dissolutio tanquam minus malum, ne deterius aliquid contingat, quæ dissolutio cum ex parte mulieris non fiat ex mera voluntate, sed cum admixto involuntario, non fit ex parte viri sine gravi peccato, quod tamen permittitur, neutiquam id approbando, sed tolerando, ut majora incommoda vitentur.

4. Caterùm etsi spectando ipsum contractum liberrimè sine peccato possint Sponsi dissolvere contracta Sponsalia, si in hoc convenit mutuus utriusque consensus, omnino liber, id est sine fraude, vel metu aliquo injustè incusso extortus, fatendum nihilominus est, ut supra insinuavi, si istud fiat sine rationabili causa, plerumque ferè aliquid intervenire, unde per accidens in tali dissolutione committatur peccatum, ad minimum veniale, quia nempe ut plurimum istud fit vel ex animia animi levitate, & inconstantia,

vel ex ira subito coorta, aut alia passione prædominante, ut rectè advertunt Perez *disp. 9. de Matr. Sect. 1. n. 5.* Gobat, Sporer, Wex, & alij: & verò videtur hic esse sensus communis etiam plebejorum, qui se accusant in confessionibus, quòd sine justa causa, quamquam cum consensu alterius partis, à Sponsalibus resilierint: agnoscunt ergo, vel certè metuunt, à se culpam esse admissam.

Dixi *ad minimum veniale*, quia in aliquibus Diocessibus, ut de Constantiensi testatur Gobat *tr. 10. n. 262.* est peccatum Episcopo reservatum, si, qui Sponsalia de futuro contraxerunt, ea non observent, etiamsi discessio fiat accedente libero utriusque consensu, & si ea celebrata fuerint coram Parocho, sive non, dummodo fuerint notoria: addit tamen citatus Author, paucos esse, qui hoc agendo in casum reservatum incidant, quia plerique non existimant, se à Sponsalibus recedendo peccare mortaliter, venialia autem peccata vel nequeunt, vel certè non solent reservari, cum nemo teneatur illa confiteri, unde de istis se accusans à quolibet Confessario in foro interno absolvi potest.

5. Statutum istud Diocesis Constantiensis occasionem præbet, ut gradum faciamus ad alteram questionem in casu specialiter contentam, videlicet an, quia Sponsorum mutuo consensu dissolvi possunt Sponsalia,

Sponsalia, facere hoc ipsis licitum sit auctoritate propria, an verò necesse sit, ut Superioris auctoritas accedat? Et quidem quando Superioris hinc mentio fit, clarum est, alium Superiorem non intelligi, quàm Ecclesiasticum, quia hæc materia Spiritualis est, materia autem Spiritualis non pertinet ad alium iudicem, quàm ad Ecclesiasticum.

Dicendum, spectando jus commune, ipsamque naturam promissionis Sponsalitiæ, nullam requiri auctoritatem iudicis, aliamve solennitatem, præter utriusque desponsati consensum, sed posse propria auctoritate dissolvi, non minùs, ac alios contractus, quando moraliter certò constat de causa sufficiente ad istam dissolutionem. Ita Coninck disp. 23. dub. 8. n. 70. Bonac. q. 1. de Sponsal. pu. 9. n. 8. Laym. L. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. n. 23. Pontius L. 12. c. 18. n. 8. Pax Jordanus L. 3. tit. 7. n. 205. Dicastillo, Gebat, Engl &c. testantibus tamen his omnibus, non solùm præstat adesse iudicis auctoritatem, sed sæpè ea etiam necessaria est. Videlicet

Ratione statuti Diocesani; in pluribus enim Diocesisibus ad frænandam nimiam levitatem, & licentiam ineundi Sponsalia, & initis iterum renunciandi laudabiliter statutum est, ne dissolutio ista Sponsis permittatur, nisi causâ priùs ad Ordinarium delatâ, & ab isto approbatâ; ita, ut de statuto Constantien.

si nihil amplius memorem, talia decreta extant in Diocesi Mechliniensi, Cameracensi, Buscoducensi, Audomarensi in Belgio, & in Episcopatu etiam nostro Frisingensi, ubi hæc scripsi.

Statutum Mechliniense apud Bernardum Van Espen p. 2. Juris Ecclesiast. tit. 12. c. 2. n. 22. Ita habet: non consentiant Parochi, ut illi, qui in legitima ætate constituti Sponsalia contraxerunt, se mutuo ab ejusmodi promissione futurarum nuptiarum propria auctoritate absolvant, sed illos Spiritualis Curie promotori denuncient, ut causâ per Episcopum, ejusve Officialem discussâ, si ea secundum juris dispositionem legitima sit, ab ejusmodi promissione absolvantur.

Similia habet statutum Cameracense: Sponsalia contracta non dirimant Parochi, sed rei cognitionem ad Officialem nostrum remittant.

Frisingense denique Rituale serid inhibet Parochis, ut quotiescunque propter dissolvenda Sponsalia, præsertim publica, & absolutè facta, aut si privata quidem fuerint, postmodum verò quovis modo evulgata, inter Sponsos lites, & controversiæ emergunt, circa compositionem, vel dissolutionem eorundem Sponsalium nihil attentent. - - Sed totius negotij series ad iudicem causarum Matrimonialium, seu Officialem nostrum referatur.

6. Ex istis pro resolutione casûs advertens 1. Non sufficere, quòd res agatur coram Parochò, is enim competens iudex non est, cùm non habeat jurisdictionem in foro externo.
Sanch.

Sanch. *L. 1. disp. 69. n. 10.* Bonac. &c. 2. Advertes cum memorato Bernardo Van Espen, similia statuta Dioecelana solum intelligi de Sponsalibus publicis, & coram Ecclesie Ministro ritu solemniter contractis, quibus dum Ecclesia semel manum apposuit, nihil se inconsultam fieri permittit: impeditur etiam hoc pacto levitas, quae aliter in re tam gravi, & frequenter non sine scandalo, alijsque incommodis interveniret, quae ut devitarentur, etiam occulte celebrata Sponsalia, sed postmodum quovis modo publicata, ventantur sine Ordinarij autoritate rescindi mutuo consensu.

Quocirca si in praesenti casu, aut quovis alio simili desponsatio facta prorsus occulta est, propria autoritate ex mutuo consensu dissolvi possunt Sponsalia, quia tunc cessat periculum scandali; Quando autem de Sponsalibus constabat quidem, sed non pariter constat de justa causa dissolvendi, cum hac ratione non evitetur scandalum, aut quando non satis clarum est, causam resiliendi esse sufficientem, sed de ea merito dubitatur, dissolvi nequeunt sine autoritate judicis Ecclesiastici. Ita Sanch. Coninck, Dicastillo, & alij.

7. Caterum tota haec quaestio, & quae hucusque dicta sunt, proce-

dunt tantummodo circa Sponsalia puberum, nam de impuberum Sponsalibus alia prorsus est Juris dispositio *c. De illis. De Despons. impub. & c. à nobis. eodem.* Videlicet non possunt impuberes contrahentes Sponsalia etiam mutuo consensu resiliere, priusquam ad annos pubertatis perveniant; cujus constitutionis ratio est, ut sic levitas animi caveatur, ne passim contrahant, & iterum resiliant. Verum adveniente pubertate, qui prius illam attingit, is resiliere potest, nec opus est, ut expectet pubertatem alterius, cum solum ex ejus dissensu post pubertatem permissio Sponsalia dissolvantur *c. De illis. §. si verò. De Despons. impub.* Quod si verò non statim, ac pubertatem attingit, aut saltem intra triduum reclamet, censetur eo ipso Sponsalia confirmare, ac si post pubertatem illa contraxisset. Sanch. *L. 1. disp. 51. n. 8. & seq. Palao disp. 1. de Sponsal. pu. 17. n. 5. & alij.* Si denique pubes contraxit cum impubere, pubes resiliere non potest, sed expectare tenetur, an impubes pubertatem nactus respuat; quod si non respuerit, firma persistuat Sponsalia *c. cit. De Despons. impub. & Ratio est, quia in pubere non praesumitur immaturitas judicij, idcirco lex ipsi non subvenit.*